



1. Hö  
2. Hö  
3. Hö  
4. Hö  
5. Hö  
6. Hö  
7. Hö  
8. Hö  
9. Hö  
10. Hö  
11. Hö  
12. Hö  
13. Hö  
14. Hö  
15. Hö  
16. Hö



Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS  
CHIRURGICO - MEDICA  
QUÆDAM  
DE  
**LUE VENEREA**  
SISTENS  
QUAM ANNUENTE DIVINA GRATIA  
ATQUE  
CONSENTIENTE GRATIOSA FACULTATE  
MEDICA  
PRO LICENTIA  
*GRADUM, HONORES ET PRIVILEGIA*  
**DOCTORIS MEDICINÆ**  
LEGITIME OBTINENDI  
IN ALMA ARGENTORATENSIMUM UNIVERSITATE  
PUBLICÉ DEFENDET

**FRANC. LUDOV. HEGG,**  
CONFLUUS.

Die XXIII. Aug. A. R. S. MDCCLXXVII.

H. L. Q. C.



ARGENTORATI

Imprimebatur IN OFFICINA KÜRSNERIANA.



REVERENDISSIMO AC SERENISSIMO  
PRINCIPI AC D. DOMINO  
CLEMENTI WENZESLAO  
ARCHEPISCOPO TREVIRENSI  
SACRI ROMANI IMPERII PER GALLIAM  
ET  
REGNUM ARELATENSE ARCHICANCELLARIO  
AC PRINCIPI ELECTORI  
EPISCOPO AUGUSTANO,  
COADJUTORI ELVACENSI  
ADMINISTRATORI PRUMIENSI PERPETUO  
PRINCIPI REGIO POLONIAE ET LITHUANIAE,  
DUCI SAXONIAE,  
JULIAE, CLIVIAE, MONTIUM, ANGARIAE  
ET  
WESTPHALIAE,  
LANDGRAVIO THURINGIAE,  
MARGGRAVIO MISNIAE,  
UTI SUPERIORIS ET INFERIORIS  
LUSATIAE,  
COMITI PRINCIPI HENNEBERGENSI, COMITI  
MARCHIAE, RAVENSBURGIAE, BARBIAE  
ET HANNAVIAE,  
DOMINO IN RAVENSTEIN &c. &c.

PRINCIPI

AC

DOMINO

MEO

LONGE CLEMENTISSIMO.



REVERENDISSIME,  
SERENISSIME ARCHIEPISCOPE,  
ET PRINCEPS ELECTOR  
DOMINE DOMINE CLEMENTISSIME!

**Q**UOD fieri nunquam posse credideram, PRINCEPS SERENISSIME! id & mibi Benevolentiae Tuae interventu hodie contingit, ut Differatiumculam hanc laborum primitias Tibi offerre audeam. Quem tenuis ego bucusque in arte Potentem magis Patronum humillime adoptem, nisi Te, SERENISSIME PRINCEPS ELECTOR! Patrem Patriæ, Cui ægrotantium salus, Cui artis salutaris incrementum, tot tantaque tam artui regiminis negotia cura est, sub Te enim salus semper tuta erat. Et quis nunc, Te imperante, præter rerum abundantiam Treviris scientiarum artiumque felicè profectus?

Patere ergo, PRINCEPS SERENISSIME! Avitarum Tuarum Virtutum, Candoris, Clementiae, Fortitudinis Scientiae Politicae, flores omnes colligere, unde circa auguſtissima tempora Tua serpentant lauri perpetuo virentes, illud corde Tibi devotissimo precatur & augurat

submississimus Cliens & Servus  
FRANCISCUS LUDOVICUS HÆGG.





## PROÆMIUM.

Sisto Tibi, Benevole Lector! ut laudabili mori Academico satisfaciam, quandam de lue venerea; differendi materiem, et si intricatam non tam novam quippe pluribus ab auctoribus jam-jam agitatam agitare adhuc mihi præsumo. De hocce morbo agens, ortum & variorum auctorum medendi Methodum rimari, supperfluum foret, dum & ejus origo & processus & medendi ratio in clarissimorum Auctorum Annotatis sat patent. Faxit Supremum Numen, ut scopo Academico satisfaciam, et si quædam Tibi, Benevole Lector! vel corrigenda vel omittenda vel adjicienda adhucdum videantur, labori meo, ut indulgeas, juvenili volo. Vale mihi que fave.

A

## §. I.

Morbi nostri, consentientibus variis auctoribus,  
 a) acurata vix dari potest definitio, nisi & illam ma-  
 lorum syndromen & symptomatum catervam seorsim  
 tangamus. Lues venerea ergo est species cachexiae,  
 in qua serum sanguinis singularem crassitudinem &  
 acrimoniam ut plurimum a contagio per impurum  
 congressum suscipit, variarum partium doloribus, tu-  
 moribus, maculis sese manifestans gravissima phæno-  
 mena inducit b).

## §. II.

Ex eo, quod per contagium lues venerea attrahi-  
 se patiatur, videndum esse arbitror, quomodo ejus  
 fiat contagium. Duplici modo virus venerum corpus  
 ingredi potest, primo quidem, ex impuro congressu  
 infecti cum non infecto, & sic vicissim, & haec nulla  
 amplius explicatione indigent; secundo pluribus adhuc  
 modis teterrimus hicce morbus communicari potest  
 absque ut fiat impurus congressus. Sic testantur auto-  
 res a generatione contractum virus venereum fuisse, si  
 nimirum a lue infectis parentibus nati infantes eodem  
 morbo inquinati in lucem eduntur. Quis miratur!  
 miasma enim hoc venereum circulantibus mixtum est  
 humoribus, quibus foetui in utero materno inclusu-  
 conciliatur nutritio; fieri ergo potest, ut morbosum  
 somitem jamjam gerat in corpore, antequam nascatur  
 foetus. Compertum est, ait ASTRUC c) ab infecta ma-  
 tre partus edi squallidos, semiputres, ulcerosos fere sy-

a) Vid. Home Princ. Med. parte IV. Sect. II. p. 269. &c.

b) Vid. Masitanum in Chirur. Tom. IV. C. III. p. 4. &c..

c) De Morbis Vener. L. II, C. i. p. 121,

*phyliticos*, ubera fugiendo matris aut nutricis hac lue affectæ infanti idem malum communicari posse prolixè testantur auctores, d) sic vidit Clar VAN SUITEN, e) miserum puellum lue correptum, qua intra tres septimanas periit, dum sanissima nutrici substituebatur alia, cujus palatum osseum foetido ulcere totum fuit exetum. Integrum oppidum infectum fuisse legitur, dum plures mulieres misericordia motæ ubera dederunt binis infantibus, qui ab alia nutrice lue laborante, hac fuerunt infectæ. f) Sudore porro idem malum attrahi potest, difflatur enim per totam cutis superficiem virus hocce venereum, periculosum inde videtur in eodem lecto cum infectis dormire, inprimis si copiose sudant; potest enim facile vaporosus ille sudor exhalans de infecto corpore resorberi, vel saltem pro parte vasis bibulis cataneis sani hominis talis luis propagatio per somitem spargi, dicit ASTRUC. g) Ad quam quoque refert, si quis eodem poculo cum infecto biberat, vel iisdem mandibulis os & labia exterferat, & quando non infectus cum infecto vestimenta mutaverat, & tales plures existunt casus. h) Plures adhuc aliæ extant causæ, quibus morbus hicce, absque ut Orgasinus Venereus cum infectis colatur, attrahi possit, quas, ne prolixior sim, transeo.

### §. III.

Contagium venereum, in illa parte, cui committitur, se se manifestare solet: sic a suctione contracta cirt-

A 2

d) Vid. Medic. effais - and observat. Tom. III. N. 21. p. 323.

e) Comment. in Aphor. Boerh. Tom. V. Aphor. 1441.

f) Wercellon de pudendorum Morb. C. IV. p. 205.

g) Libr. citat. Cap. II. p. 122.

h) ibid. & Hildanus, observ. centur. Ima p. 75.

ca mammas, si infans infecerit nutricem, & contra in labiis, lingua, ore interna ac faucibus ulceræ nascuntur venerea, si nutrix infecerit infantem, sic ad partes genitales utriusque sexus per orgasmum venereum impurum, observatur nidulare. Hisce præmissis nunc quæritur an statim quando contagium subierit corpus, lues Venerea cum suis symptomatibus favere incipiat? FRACASTORIUS *i*) monet, non statim luem venereum se manifestare, sed certo tempore delitescere, interdum quidem per mensem, interdum per duos, saepe etiam per plures, imo annos. Huic sententiae similis apud BERNHARDUM TOMITANUM legitur: *k*) monet enim signa manifesta luis venereæ per duos & plures menses nondum apparere, en ejus verba. Ille morbus videbatur delitescere & de futuris aliorum calamitatibus & suppliciis meditari. Apud DANTURNER *I*) extat casus, qui idem demonstrat, potest itaque hocce malum, testantibus hisce auctoribus, confirmante CLAR. VAN SUITEN *m*) ad certum tempus latere.

#### §. IV.

Videnda ergo sunt signa, quibus certi sumus, virus venereum in corpore latere, antequam cum tristibus suis symptomatis agere incipiat. BERNHARDUS TOMITANUS *n*) signa mali hujus latentis atque adhuc recentis sequentia annotat: Corporis inertiam, segnitatem præter laborem, gravitatem membrorum, lassitudinem.


*i*) Aphrod. in præfat. p. 199.

*k*) De morb. Gall. circa anno 1563.

*I*) Syphyl. hist. p. 297.

*m*) Comment. in Ophor. Bœrh, Tom. V. Ophor. 1442.

*n*) Libr. Cit.



dines spontaneas, lentorem & tarditatem actionum, somnolentiam fere assiduam, corporis maciem, virium sublationem, animi perturbationem, moerorem, dissidentiam, metum, pallorem faciei, & alia plurima; hujus sententiæ favere videtur BRUNUS GALLICUS. o)

### §. V.

Symptomata, quæ nos de iue venerea certos redundunt, sequentia sunt; gonorrhæa nempe virulenta, tumores testium, stranguria, bubones, uleuscula varia præputii & balani, tubercula, verucæ. p) Dum de gonorrhæa mili sermo, illam intelligo, quæ per virus venereum fit, distinctam ab illa, quam varii auctores simplicem salutant q): Fieri enim talis gonorrhæa simplex potest, absque ut impurus congregatus celebretur. Ex Anatomicis & Physiologicis constat, prostatam glandulam suis emissariis patere in urethram, unde si quacunque de causa se- & excretio talium humorum augetur per urethræ cavum sensim protruditur latus talis humor, qui extremitate urethræ adhæret, internæque præputii superficie & cum illis concrescit, quod foetidum quidem est, sed nullo modo contagiosum. Differt inde hæc gonorrhæa simplex a virulenta triplici modo; primo illa, non est contagiosa, qualis hæc, secundo, exstillans, uti dictum, liquidum cohæret, & concrescit propriis suis partibus unde stillat, cum e contrario in venerea nec adhæret nec concrescit penis summitati, sed foetido stillicidio lintea maculat, tertio denique sim-

A 3

o) Schenk Obscr. med. rar. VI. pag. 816. & seqq.

p) Home princ. med. part. IV. S. II. p. 271.

q) Astruc Libr. III. p. 190.

plex non a virus venereo producitur uti virulenta, sed monente Clar. Afrue r) illa fieri observatur ab infesta potatione cerevisiae, equitatione nimia, immoderato etiam veneris exercitio, Chylere calidius admisso &c.

### §. VI.

De symptomatibus supra recensitis quædam nunc dicenda: primo quidem de gonorrhæa, urethra præcipua gonorrhææ sedes est. s) Varia in gonorrhæa observantur phænomena pro varietate locorum penis, in quibus venereum virus hæret, ac erodendo ulcera excitat. Gonorrhæam post impurum veneris orgasmum adeo frequentem esse non miramini, cum penis in concubitu impuro omnium maxime contagio exponatur. Contingit enim ab impuro concubitu, ut contaminans materies resorpta, meatibus in superficie glandis arcte æstu Venereo dilalatis, primo momento, quo flaccescere incipit, se insinuet corpori glandis spongioso, interque binas membranas urethræ continuetur usque ad collum vesicæ. Gonorrhæa porro pro varietate symptomatum varia; prima gonorrhææ virulentæ species a BOERHAAVIO t) adesse dicitur, quando cavum exefsum in fungosa glandis fabrica fistitur, atque per superficiem ejus dilatata sibi emissaria paravit, dum spurcissimus mador hac parte transudat, glandem & præputium corrumpit, labefacit quandoque & siderat. Cognoscitur illa foetido madore minus crasso, quam in ceteris hujus nominis morbis, assidue genito intra glandem & præ-

r) Libr. Cit. C. I. §. IV. p. 162.

s) Van Suiten Tom. V. Ophor. 1447.

t) Ophrod. in præfat.

putium vel materiem per glandem pressam extrinsecus transudante; Ablato contagio non difficilis hujus gonorrhææ ratio.

Quandoque rubra in glandis superficie apparet macula, omnium prium suscepiti contagii signum, quæ aliquando evanescit, brevi subsequitur postea excretio materiae Gonorrhæicæ per ipsam glandis substantiam.

### §. VII.

Altera gonorrhææ virulentæ species observatur quando virus venereum per poros glandis sese insinuans penetrat usque ad fabricam cellulofam urethræ circumnatam, ulcusfulumque ibidem format, quod meatus in urethræ ductum hiantes exedit, hinc ulcerosam materiem hac via effundit assiduo quidem distillantem hoc exitu, & haec est, testante VAN SUITEN<sup>u)</sup> omnium frequentissima in initio gonorrhææ occurrentis. Locus affectus est in primis circa finem urethræ, quæ circa glandem dilatatur & facit fossulæ ovalis speciem, quæ & navicularis audit. <sup>v)</sup> Hac in gonorrhææ virulentæ specie sentiunt ægri dolorem in pene ac si coarctaretur urethra, major copia materiæ exit sed lentiori stillicidio ob urethram eo magis coarctatam, quo plures tales loculi affecti sunt. A loco posteriori penis premando glandem versus exprimi potest materies, quod non contingit ubi in superiori parte urethræ hæret mali sedes: Albus est humor, qui exit, exsiccatus flavescit & lintea rigida reddit, & si pejoris indolis fuerit malum, viridescit, pessimum, si amurcosus, fariosus,

<sup>u)</sup> Libr. Cit. §. cit.

<sup>v)</sup> Winslow. Expos. Antom. p. 569.

atque sanguinolentus humor effluit &c. *x*) exesa enim  
fabricæ cavernosæ urethræ est indicium.


### §. VIII.

Tertia gonorrhææ species ad esse dicitur, quando ad glandulas usque Cowperianas dictas virus intraverit, hosque oblidet, per emissaria horum in cavum meatus urinarii se exonerat materies, si his in glandulis virus nidulat, vix extricari poterit, sed hærens ipsaque mora pejus factum ingentes ibidem erodet sinus, cava &c. Majoris momenti res est, si quacunque de causa materiae impediatur in glandulis collectæ exitus in cavum urethræ. Origines quam sëpe dicit a prima & secunda specie gonorrhææ, si repetitis vicibus jam talibus morbis vexatus fuerit æger; rarius occurrit absque his, & CELEB. LITTRE *y*) qui magnum numerum cadaverum gonorrhææ laborantium dissecuit, tantum semel invenit has glandulas Cowperianus affectas solas. Cognoscitur tumore & dolore in medio perinæi, qui quoque ad anum usque extenditur; parcus est materiae gonorrhœicæ per penem stillicidium; quandoque contigit, ut & ultimo actu reddendæ urinæ copia materiae saniofæ, ichorosæ, foetidæ ex pene prodeat. Quando itaque tumor illarum glandularum & partium vicinarum plus augetur, comprimi possunt illarum ductus excretorii, ut nihil omnino vel parcam tantum copiam materiae in cavum urethræ transmittant, intelligitur inde, quid apud autores quosdam sub nomine gonorrhææ virulentæ siccæ veniat.

### §. IX.

*x*) Van Suiten locq. Cit.

*y*) Acad. des sciences Anno 1711. membr. p. 267.



## §. IX.

Quarta gonorrhææ virulentæ species est, dum virulentus tabus usque ad prostatas ductus has tabefacit, inque satis abundans pus resolvit; sequitur illa ex durantibus diu & repetitis gonorrhæis; cognoscitur ex tumoribus in perinæo propinquioribus ano, adeſt ſimul urinæ interceptio poffima, unde duriflimi, inanes exonerandam veficam tenefmi, atque rejectio copioſa purulentæ, ſubputridæ materiæ. Ultima tandem & abominantiflma species est, quæ infectione proſtatarum emiſſaria vafculorum inter exeunteſ illarum meatus hiantia, erodit, & venenum ſuum per hos ductus usque ad veficulas feminales communicat, illarumque liquidum & vafa ſimul contaminans proſluvium largiſſimum atque foetidiſſimum procreat. Si jam perpendimus, proſtatas recto intestino incumbere, quod copioſa pinguedine cingitur, intelligitur totum illum apparatus cellulofum qui veficulas ſpermaticas, veficam Urinariam, intestinum rectum atque perinæum ambit, & interjacet, exulceratum, exefum, putrefactum fieri, meatus fiſtulosos ad ſcrotum, perinæum & anum producere, ita ut per cuniculos ſimul & fiſtulas omnes hæ partes conſumantur, nec balneis, fomentis, cataplaſmatibus, inciſionibus, dilatazioneibus aliiquid perficiatur, quin tandem in urina ipſa pinguedo de hiſ ulceribus demittatur z).

## §. X.

De gonorrhæa agens aliquod virus venerei ſymptoma adhuc reſtat maximi adhuc momenti. Eſt nimi-

B

---

z) Børrhave ad Ophrod. in præfat.

rum Ophthalmia Venerea, dum per Metaftasim, quando nempe subito suppressa fuerit gonorrhæa, ad oculos delatum fuerit virus hoc venereum; quis miratur delatam ad oculos materiem virulentam in subtili teneraque oculi fabrica inflammationem acerrimam circa corneam transparentem formare, statimque, nisi prudenti chirurgica manu extirpetur, in suppurationem abire, atque ipsam corneam perforando, turbatis jamjam & infectis intra humoribus, ad effusionem totalem viam parare, dum ex antea dictis constat, quanta damna, qualesque erosiones faciat miasma in durissimis quoque corporis partibus, nec dubium est, quin materies virulenta ad oculos deferri possit, dum toties lues universalis per totum corporis habitum dispersa a mala gonorrhæa curatione oritur. Talem materię virulentę ad oculos per Metaftasim confirmat celeb. ASTRUC, a) qui testatur, *se observatione compertum habere, ophthalmiam gonorrhœicam in summo etiam incremento dicto citius remissam fuisse, evançuisse drepente, neque integrato gonorrhœæ fluxu vl. erumpente bubone venereo in inguine alterutro: monet autem hanc metaftasim a genitalibus ad oculos illis contingere b) quibus oculi natura molles sunt aut infirmi aut quibus i&ctu aut affectu aut festucæ illaplu fortuito oculi male habent. Fieri quoque potest, ut non per metaftasim sed a contagio immediate oculis applicato talis ophthalmia venerea oriatur, quod CLAR. ASTRUC c) observatione probat, merito notat, talem ophthalmiam ab externo applicato contagio, dum interim gonorrhæa pergit, minus gravem*

a) De Morb. Vener. Libr. III, C, III, edit. 2da, Tom. I, pag. 291.

b) Ibidem.

c) Ibidem.

II

esse, quam si suppressa gonorrhæa virus impetuo sius  
& majori copia in oculos irruat.

§. XI.

Hucusque de gonorrhæa in viris diximus. In foeminis dum legitima suspicio impuri conbitus adest, & stillicidium materiæ virulentæ per vaginam exit, fluor albus vel gonorrhæa muliebris audit, unum adhuc est, quod consideratione dignum, nempe ut breviter ineami distinctionem, qua patebit, quomodo fluor albus seu gonorrhæa muliebris venerea a proprio sic dicto fluore albo distinguitur.

Distinguit se primo a cognitione causæ prægressæ (suspecti nempe concubitus) secundo fluor albus a levi initio per menses imo per annos augetur sensim, & tarde tantum redditur acrior, flavus quandoque, viridescens tandem; Gonorrhæa autem muliebris venerea subito oritur, increscit continuo, & festinans auget vestigia mali; color qui initio albicat, quandoque in flavum & viridem satis cito transit, erosisque vasis effluit tabus fanguinolentus, ardoris & doloris sensum in vagina percipiunt ægrotæ.

§. XII.

*Bebares* tumores in inguine, inde dicuntur quia voce græca, inguina ita sonant. Si itaque virus venereum ad inguina delatum fuerit, ibique tumores excitat, hi tumores sub bubonum nomine veniunt. Nascentes bubones sedulo consideravit saepius Clar. Aphorismorum Boerhaavii Commentator VAN SUITEN:

B 2



d) dicit nimirum, ægros conqueri de quadam tensione  
in inguine, quandoque de obtuso dolore, tunc tangere  
potuit in profundo hærentes glandulas, parum tantum  
auctas, distinctas adhuc inter se & secundum longitudi-  
nem inguinis dispositas; cito satis augetur malum, & in  
unam quasi coëunt massam, quæ postea in tumorem  
sæpe satis magnum assurgit & tunc non solæ glandu-  
læ videntur hunc tumorem constituere, sed simul in-  
fectam esse membranam cellulosam. Bubo in inguine  
apparens dat signum recepti in venas contagii; intel-  
ligitur inde, quare a peritis semper suspecti habeantur.  
Contingit & quandoque observante CLAR. VAN SUI-  
TEN e) ut post impurum concubitum absque ullo alio  
malo apparente in corporis parte indurationes glandu-  
larum subaxillarium prodeant; & nec leve hoc ma-  
lum est, designat enim luis contagium mobile admodum  
& actuosum non hæfisse partibus, quibus imme-  
diate applicatum fuerat, sed & vasis receptum ulterius  
penetrasse, hinc nisi bona medela illud cito diffletur  
de corpore, metus est, ne totum corpus inde conta-  
minetur. Vedit CLAR. VAN SUITEN, f) post concubi-  
tum cum scroto non tantum bubones in utroque inguiue  
juvenis robusti emerſisse, sed & totam cutim varis fa-  
datam fuisse. Distinguitur bubo venereus ab aliis in-  
guinum tumoribus causas ob prægressas, (impuro nem-  
pe vel faltem suspecto concubitu,) cancris venereis &  
gonorrhæa præcedentibus.

### §. XIII.

In membro virili ingens adeat inflammatio, uti in  
§ VI. dictum est, & brevi in gangrenam abiens; va-

d) Libro Citato. Aphoris 1448.

e) Ibidem.

f) Ibidem.

rii inde membra virilis tumores sub cute penis & præputii ternerima, ubi quædam tunica cellulosa dicta hæret, quæ male affecta si fuerit, in tumorem ingentem attollitur, & subiectas partes suffocare potest. Inflata tenera hac cellulosa quandoque ultra glandem prominet, illamque totam ocultat, liberumque urinæ exitum impedit, cuius pars inter præputium & glandem collecta manet, mora acrior facta, has partes magis irritat sicut omnia mala augentur, tumor inde ortus ferre pellucidus est, vario modo intortus, digitus pressioni cedens, ut plurimum *Phimosis* audit; *Paraphimosis* autem, ubi præputium pone glandem retractum simili tumore afficitur, & turgendo annulo, pariter fere pellucido penem cingit circa coronam glandis, quæ ultra tumorem hunc annularem prominet tota nuda. In phimosi tumens præputium retroduci nequit, nec aduci in *paraphimosi*.

Tales tumores fieri quoque possunt, licet nil mali subfit, observante Ill. HEERS,<sup>g)</sup> & secundum CLAR. ASTRUC<sup>h)</sup> a laboriosa & difficiли venere cum pura muliere. Plura alia adfunt obsecæna mala, quæ ægrotantem hac lue laborantem vexant, tumor nimirum testium venereus stranguria venerea, tubercula callosa, dein lues venerea confirmata. Priora symptomata ex illis, quæ in variis gonorrhææ speciebus dicta fuere, eluent. De lue nunc venerea confirmata adhuc quædam mihi dicenda superfunt.

## B 3

---

g) Observ. Med. no. VII. p. 85.

h) Libr. Cit. C. VIII. p. 289.

## §. XIV.

In indaganda causa non diu moror; est nimurum virus venereum per vasa sanguinea, serosa atque lymphatica intus assumptum <sup>i)</sup> & ex eo, quod de lue venerea confirmata miasma venereum circulantibus jam mixtum humoribus, facile intelligitur, tristissimam virus hocce ludere tragædiam. Retrorescunt omnia, præter gonorrhœam, symptomata, uti ulcicula in pudendis, tumores testium, bubones, tubercula penis & ani; palatum, fauces, membrana Schneideriana investiuntur inflammationibus atque ulceribus cum albo & calloso margine, ossa carie eroduntur, corpore in lecto in calente per totum corpus dolores atrocissimi lancinantes dilacerantesque percipit æger, cutis deturpatur maculis latis, rotundis, fiscis, flavescentibus &c. Glandulæ diversæ infarcuntur, indurantur tumentque variis in locis, & innumera alia supersunt phænomena, quæ hic recensere, contra meum promissum foret. Credo, me breviter explicasse, quæ huic morbo competit, & ex dictis diagnosis patet, & prognosis in promtu est. Quædam nunc adhuc de curatione dicenda habeo.

## §. XV.

Magnus medicorum catalogus apud antiquos & recentiores in malo hocce curando versatos reperire est. Antiqui præprimis, dum certa sibi persuasa habuerint specifica, iisdem morbum hunc tolli posse crediderunt, & inter hæc circa nullum adeo occupati fuerunt Medici, quam circa hydrargyrum, de quo paulo post mihi sermo erit. Tentaverunt porro sudoriferis, emeti-

---

<sup>i)</sup> Vid. Home princip. Med. p. IV. S. II. pag. 286.

cis, catharticis, dum morbosus fomes, uti voluerunt, solutus fuit, illum e corpore eliminari, inter reliqua ceterum specifica, ne prolixior sim, tantummodo quædam recenso. Teste WARANDÆ a CARTANO *k*) caro perdicis laudata fuit, Arsenicum in spiritu vini solutum, palmis ac plantis applicatum, *De planis campi* jactat *l*) Aurum sub forma tenerrimi pulveris Los-sius & REBENTROST commandant. \* WEISBACH *m*) crocum folis miracula in hoc morbo facere opinatur. De Ligno Guajaco sancto, indico, POLL *n*) & HUT-TEN *o*) primi mentio mentionem fecere, & illud ipsum omnibus medicamentis anteposuerunt, CLAR. POLL *p*) SCHMAUS *q*) HUTTEN *r*) MONARDUS *s*) & plures alii adhuc auctores; radicem Chinæ contra hunc morbum in usum tractum fuisse, ex FRACASTORIO patet; \* magnam adhuc auctorum syllabum de variis remediis contra hunc morbum adhibitis adducere possem, sed ne limites transgrediar, contentus & benevolum lectorem, ut adeat Dissert. Cl. BœHM, rogo *t*)

### §. XVI.

Mercurii usus externus in Arabia primum, & sub seculo XVI, ejus internus Florere expit usus;

*k*) Hieron. Cart. med. prof. Bonon. papian med. opera Lugd. 1663.

*l*) de la Verole recongne, combattue, & abattue. Paris 1623.

*m*) Wahrhafe Eur aller Krankheiten, Marb. 1712, & Straßb. 1715.

*n*) De Cura morbi Gallici per Lignum Guajacum. Venet. 1717.

*o*) De Guajaco, methodo & morbo gallico Mogunt. 1519.

\* Dissert. de lue Venerea, Vitemb. 1683.

*p*) Libro citato.

*q*) Lucubr. de Morb. Gall. Aug. Vind. 1518.

*r*) Libr. citat.

*s*) De morbo Gallico. Epist. II, initio seculi XV.

*t*) De variis syphiliid, therapiis, Argent. 1771.

habebatur ab antiquis pro optimo & efficacissimo luis  
venereæ curandæ medicamento, uti jam in §. præce-  
dente præcepi. Si omnes auctores, qui mercurium in  
lue venerea curanda laudant, recenserem, & vim quo-  
modo ille agat, exponerem, ampla mihi res foret.  
Ad evolendos circa hanc rem auctores, vid Diff. CLAR.  
Bœhm; & ad explicandam mercurii vim legi meretur  
doctissima dissertatio de *Hydrargyri præparato um inter-*  
*norum in sanguinem effectibus sub præsidio Clar.* nostri  
Præceptoris SPIELMANNI a doctiss. JOH. FRIED. EHREMMANN  
in hujate Universitate 1761. defensa; his itaque non  
immoror, sed tantum quædam mihi circa illam absur-  
dam theoriam, quod nempe lue venerea non nisi  
ptyalismo curari possit, dicenda supersunt. Me aber-  
rare vix credo si ptyalismum plus nocere, quam pro-  
desse, afferam: rationes si ex me queruntur, sequen-  
tes esse possunt. Primo salivatio non est evaucatio  
Critica, secundo dum nimirum experimentis constat  
quod Hydrargyrum sanissimis quoque hominibus exhibi-  
tuum eundem effectum produxit, licet nullus in il-  
lis hospitabatur mali venerei fomes; imo CLAR. VAN  
SUITEN u) dum de methodo per frictionem inungen-  
do mercurium loquitur, & mala inde recenset, quæ  
ægris occurrent, egregie dicens: *Imo salivationis peri-*  
*culum imminet etiam hominibus sanissimis, qui dum in-*  
*serviunt miseris noctes atque dies in tali ære hærere debent,*  
imo & CLAR. ASTRUC, dum de frictione loquitur, di-  
cit: *non ab ægro ipso, sed ab alio ministro innuictionem*  
*fieri*

u) Libr. citato. Ophor. 1467.

\* Hier Fracastor Med. veronens 1.) Syphilis veron. 1530. 2.) de  
contagione, Venet. 1546..

fieri debere, sed egregie fatetur, talem ministrum veri-  
re in discrimen salivationis. Apud HILDANUM v) fi-  
mile exemplum legitur. Mirabatur celeb. GOULARD  
x) illos, qui præparabantur ad serbeundas inunctiones  
mercuriales, incepisse etiam salivationem pati, dum  
ob penuriam loci in eodem conclave morabantur, cum  
illis, quibus mercurius jamjam inunctus fuerat. Porro ægris  
quam maxime laboriosum est salivationis negotium,  
imo vero martyrium salivationis cura dici potest; fi-  
dem si negas, adeas loca, ubi adhuc salivatio celebra-  
tur. Denique testante GOULARD y) maxime periculu-  
sum & insigni indiget attentione & præcautione, & a  
CLAR. KRAMERO z) medicatio homicidaria ipsa soli-  
vatio audit, quæ hucusque dixi, egregie confirmat mo-  
do laudatus KRAMER, dicens: Quilibet tot arcana con-  
tra luem venereum habet, ut e longinquo mihi for-  
deant, omnes idiotæ credunt, hunc morbum non nisi  
salivatione curari posse, & quidquid in hocce mercuri-  
us præstat, id præstare ratione salivationis, nullus te  
(tyronem,) monet, quod homo durante salivatione  
misere torqueatur, pulsus omnino febrilem experiatur,  
& multi quoque absque ulla causa externa moriantur  
salivatione, nemo tibi dicit, quod multi una plures  
salivationem sine ullo successu subierint. Tibi paralyses  
membrorum, cæcitates, spasmos cynicos, nec non il-  
los, quos hac medendi methodo occiderunt, reticent.  
Suadeo tibi, ut abstineas ab hac medicatione homici-

C

---

v) Libr. II. Cap. IX. p. 149.

x) Observ. Chirurg. Cent. V. Observ. 98. p. 495.

y) Sur les maladies Veneriennes, p. 55.

z) In Medic. castrenso p. 86.

diaria. Quando salivatio surgit, id ex tua culpa, ignorantia & imprudentia fit, quæ ægri naturam materialem & formalem neglexit.

### §. XVII.

Ipsam nunc medendi methodum aggredi, fas esset, quum autem illa in variorum gravissimorum auctorum annotatis prolixè occurat, quædam tantummodo hic recensebo. Ipsa cura dupli modo absolvi potest, frictione & mercurio cum acido vel sale quodam nupto & intus propinato, quam ultimam methodum certa ratione priori antepono. Mercurius per frictiones corpori inunctus proprio suo pondere massam humorum intrare potest, & per vasa cum humoribus motus in majorem molem & ad varia corporis loca deponi, novasque ita molestias procreare, sic ANTONIUS MUSA BRASAVOLUS a) non semel in sepulchris Argentum vivum in mortuorum capitibus reperit, ceteros inter aliquem vidit, qui ter tantum in brachiis cruribus que inunctus fuerat, Argentum vivum evomuisse, similia plura apud BONNETTUM b) legenda occurunt; SCHENKUS c) refert, in cadavere mæreticulæ subito mortuæ inventum fuisse argentum vivum in ventriculis cerebri & magna quidem in copia. FALNOPIUS d) testatur se vidisse homines inunctos per triennium ante & venientibus gummatibus in tibiis detecto esse argentum ibi collectum vivum hac ratione, inquit, ego non probo

a) Aphrod. pag. 694.

b) Sepulc. Tom. III. pag. 452 & 53.

c) Observ. Med. L. VI. observ. XII. p. 811.

d) De Morbo Gallico Cap. 76, Aphrod. 809.

*medicamentum, utor aliquando, quando non potui via regia asequi intentum.* Non tantum porro se se deponit mercurius ad partes corporis molles, sed & duriores, solidioresque petit, sic in ossibus a lue venerea cariosis, dum illa ferro excidebat FERNELIUS e) guttulas argenti vivi tremulas non raro invenit; simile exemplum in nostro theatro Anatomico videre est. Quando dein in venis præprimis, ubi sanguinis circulus tardior, quam in arteriis, fieri potest, ut globuli mercuriales ad se invicem cohærent, uti fieri potest in finibus venosis, Auriculis, & cavo cordis, & inde aneurismatis metus oritur. Plura alia possem afferre testimonia, sed hæc hucusque recensita sufficere puto, ut probetur argentum vivum inunctione in corpus ingressum per vasa cum humoribus motum posse coire in majorem molem & ad varia corporis loca non sine noxa deponi. His igitur rite perpensis facile est concludere, quod vñ mercurius dulcis vñ sublimatus corrosivus optimum omnino sit remedium interne prudenti manu exhibitum ad atrocem huncce morbum fugandum. Quomodo autem & qua dosi ille exhibendus sit, quum varia in variorum auctorum libris jam prostant, ne in nimiam dissertatio hæcce increscat molem, silentio prætermitto, & necesse erit, quamvis multa dicenda super sint, ut imponatur

## T A N T U M.

---

e) Pathologia L. VII. Cap. VII. p. 229.



Straßburg, med. Diss. (17. Horsche  
Huth (17))



WMA  
VD18





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS  
CHIRURGICO - MEDICA  
QUÆDAM  
DE  
UE VENEREA  
SISTENS  
ANNUENTE DIVINA GRATIA  
ATQUE  
SENTIENTE GRATIOSA FACULTATE  
MEDICA  
PRO LICENTIA  
UM, HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORIS MEDICINÆ  
LEGITIME OBTINENDI  
A ARGENTORATENSIMUM UNIVERSITATE  
PUBLICÉ DEFENDET

A.N.C. LUDOV. HEGG,  
CONFLUUS.

XXIII. Aug. A. R. S. MDCCCLXXVII.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI  
imprimebatur IN OFFICINA KÜRSNERIANA.